Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

134.

Nascitur etiam circa Thebas Egyptias et Damascum Syrie, ceteris candidior. Probatissimum vero in India. Parius candoris eximii, lygdinus cognominatus. Hic apud Paron insulam nascitur, unde et Parius nuncupatus. Magnitudo eius que lances crateras non excedat; unguentis et ipse aptus. Corallidicus in Asia repertus, mensure non ultra cubita bina, candore proximo ~~non ultra~~ eboris ad quandam similitudinem. Eiusdem (?) et Alabandicus terre sue nomine nuncupatus, purpure aspectu similis. Iste in oriente igni liquatur atque ad usum vitri funditur. Thebaicus interstinctus aureis guttis invenitur in parte Egypti. ascripta coticulis. adterenda collyria quadam utilitati naturali convenientes. Sienites etiam circa Sienen et Thebas nascitur. Trabes ex eo fecere reges. Marmora que in officinis rupibusque gignuntur, ex quibus Icarii diversi coloris maculis distinctus, cuius primum usum insule Cyclades dederunt. Lesbius lividior paulo huic, sed et ipse diversi coloris maculas habens. Corintheus amoniace gutte similis cum varietate diversorum colorum, Corintho primum repertus. Ex eo columpne ingentes, limina que fuit ac trabes. Carysteum viride optimum nomen ab aspectu habens, eo quod gratus sit his qui gemmas sculpunt; eius enim viriditas respicit oculos. Numidicum marmor Numidia mittit adtritu [illegible] croco similem, unde et nomen accepit; non crustis, sed in massa et liminum usu aptum. Lucculleum marmor nascitur in Chio insula, cui Lucullus consul nomen dedit, qui delectatus illo primus Romam invexit; solumque pene hoc marmor ab amatore nomen accepit. Est et Lunensis. Tesfrian appellatur a colore cineris, cuius lapidis appellatio [alligatio] contra serpentes laudatur. Ebur a barro, id est elefanto, dictum. Oratius: Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris.

De gemmis

Post marmorum genera gemme sequuntur, que multum decorem auro tribuunt venustate colorum. Primordia eius a monte Caucaso fabule ferunt Prometheum primum fragmentum saxi eius inclusisse ferro ac digito circumdedisse; hisque initiis cepisse anulum atque gemmam. Genera gemmarum innumerabilia esse traduntur; quibus nos ea tantum que principalia sunt sive notissima annotavimus. Gemme vocate quod instar gummi transluceant. Pretiosi lapides dicti sunt ideo quia cari valent, sive ut a vilibus discerni possint, seu quia rari sunt. Omne enim quod rarum est magnum et pretiosum vocatur. Sic et in Samuelis volumine legitur: Et sermo Domini pretiosus erat in Israel; hoc est rarus.

De viridioribus gemmis

Omnium gemmarum virentium smaragdus principatum habet, cui veteres tertiam post margaritas [et uniones] tribuunt dignitatem. Smaragdus a nimia viriditate vocatus. Omne enim satis viride amarum dicitur. Nonnullis enim gemmis et herbis maior huic austeritas est; nam herbas virentes frondesque exsuperant, inficiens etiam se ~~respersu aere~~ [viriditate] percussu aere. Sculptoribus quoque gemmas nulla gratior oculorum refectio est. Cuius corpus si extensum est, sic speculum ita imagines reddit. Quippe Nero cesar gladiatorum pugnas in smaraddo expectabat. Genera eius xii, sed nobiliores Scythici, qui in Scythica gente repperiuntur. Secundum locum tenent Bactriani. Colliguntur enim in commissuris saxorum flante aquilone: tunc enim tellure detecta intermicant, quia his ventis harene maxime moventur. Tertium Egyptii habent